

1.
2.
3.
4.
5.
6.5
7.
8.5
9.5
10.5
11.
12.
13.
14
15
16
17



1. Joll. De Tussi 1710
 2. Jannet De lempormentis 1729.
 3. Syveton De venenis in genere 1767.
 4. Tratelle De polypo cordis 1731
 5. Gravel De superfoetatione 1738.
 6. Grest. De Tussi convulsiva 1778
 7. Freycz: De Excrecentiâ adiposa glandulis seris horis 1767.
 8. Frosser: De Damno in penae sectionis prejudicio 1764.
 9. Guclat: De natura februm causa et purificatione 1724.
 10. Fulch De abcessuum recta et sempestiva apertione 1737
 11. Gunther: De Caste. 1713
 12. Gunther: De prophylaxi purpuræ quæperarum. 1748
 13. Guering: De vini ura et abusu 1740
 14. Gunthfingers: De cardiognosom Anmerkungen der Kinder 1757
 15. Gunther: De purpura miliari 1764.
 16. Gyzer: De fame lethali.
- 17



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
TRADENS DOCTRINAM ³
D E V E N E N I S
I N G E N E R E

QUAM
FAVENTE DIVINI NUMINIS CLEMENTIA
EX DECRETO
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS
PRIVILEGIAQUE DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI
DIE IV. APRILIS ANNO MDCCLXVII.

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET


AUCTOR

GEORGIUS LUDOVICUS GRAETER

HALA - SUEVUS

DUCALIS SOCIET. TEUTON. QUÆ JENÆ FLORET SOD. ORD.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI

Typis JOH. HENRICI HEITZII, Univ. Typogr.

INSTITUTIONE MEDICAE
D. E. V. E. R. N. I. S.
IN CHIRURGIA
EX DECRETO
ORDINATIONE SOCIETATIS MEDICAE
HABITATIONE LICENTIA
GRADUM DOCTORIS
TRITICEAE DOCTORIAE IN RE PUBLICA
SOLUS RECTOR
GEORGIVS IUDOVICVS GRATER
HABITATIONE
DE RE P. T. N. O. P. L. E. T. T. O. R. O. G. I. S.



SACRI ROMANI IMPERII LIBERÆ ATQUE INCLUTÆ

SUEVO - HALENSIS REIPUBLICÆ

MAGISTRATUI

VIRIS

ILLUSTRIBUS GENEROSIS

MAGNIFICIS EXCELLENTISSIMIS

NOBILISSIMIS DOCTISSIMIS

CONSULTISSIMIS AMPLISSIMISque

DOMINIS CONSULIBUS

QUINQUEVIRIS

CONSILIARIIS

RELIQUISQUE

SENATORII ORDINIS

ASSESSORIBUS

GRAVISSIMIS

PATRIÆ PATRIBUS OPTIMIS


MERITISSIMISQUE

50704

MÆCENATIBUS
AC
PATRONIS
GRATIOSISSIMIS
DISSERTATIONEM HANCCE INAUGURALEM
CUM VOTIS ARDENTISSIMIS
PRO SALUTE AC INCOLUMITATE
TANTORUM VIRORUM
D. D. D.
ILLUSTRIMUM NOMINUM

devotissimus.

AUCTOR.



L. B. S.

PRÆFATIO.

Si omnes artis sanatoriae limites considerando perpendimus, quam multa, quamque varia Medicina præ ceteris eruditionis partibus objecta nobis sistat, & quanta copia earum sit rerum, de quarum natura & modo, quo sunt oculisque nostris sese exhibent, ambiguae plane feruntur sententiae, quantus denique sit numerus rerum, quarum cognitio nos plane fugit, si inquam hæc omnia perpendimus, vix credere fas est, tantus oriri difficultates in eligendis pro Dissertatione Thesisibus. Quam exhausta sint materiae Physiologica, Pathologica, Thera-

peutica, Chémica, innumera themata, quæ de his publici sunt juris, satis superque probare queunt. Dubius hinc atque anceps, quale thema eligerem, cum nec tritum, nec plane novum quicquam mihi placuerit; suasu Faكتورum Summe Venerandorum hanc de Venenis materiam mihi oblatam accepi; persuasus, maximum, quod ex hujus materiæ accuratori explanatione in res medicas necessario redundat commodum, longe superare damnum a summa hominum deperditorum malitia, ex mala forsan applicatione expectandum. Plurima jam prostant cum veterum, tum recentiorum scripta, in quibus hæc de Venenis materia pluribus fuit pertractata verbis; interim tamen fere in omnibus res vel justo brevior, vel male admodum ac confuse exhibitæ deprehenditur, ita ut mihi videatur methodum naturæ Venenorum, & rationi conformem, in legitime deducendis ratiociniis ex definitione Veneni vel non vel parcissime tamen esse observatam, hinc pro virium modulo id inprimis agam, ut definitione Veneni legitime formata, in species & naturam Venenorum inquiram, quo factò methodum medendi ad Venenorum naturam accommodatam exhibebo.



I. N. O.

§. I.

Venenum non omnibus temporibus idem significasse ex Autoribus variis facillime probatur. Latinis olim aliquid denotabat, quod naturam sensibilibus mutare posset in homine cui applicatum fuerat, sive bonus sive malus eventus fuerit, sic in usu fuisse Jurisconsultis veteribus ex CAJI *a)* sententia intelligitur. VIRGILIUS *b)* nobis exhibet significatum Veneni, ubi idem denotat ac color, forsitan ideo, quia ejusmodi colorum materiae ex mineralium compositionibus constant, quae ut plurimum pro Venenis habentur. Græcis φάρμακον idem erat, quod Latinis Venenum, ut ex HIPPOCRATE patet *c)*, qui in primis admodum activum medicamentum sub hoc nomine intelligit; si autem destruens quoddam exprimere volebant, tunc φάρμακον, δηλητήριον, θανατήριον, vel quoque τοξικόν appellabatur. Jam vero ab hisce significatibus veterum hodiernus longe differt, nec unquam sub Veneni nomine, medicamentum sanitatis conservandæ, vel morbi removendi gratia adhibitum, hodierno venit tempore.

§. II.

Quamvis vero Venenum semper malum quicquam denotet, tamen, veram de eo formare definitionem, rem esse judico magnæ difficultatis. Patet id ex alto non modo silentio, quo Libellorum de Venenis Auctores illam præ-

a) In *Comment. ad Leg. XII. Tab. Tit. 1. Lib. 35.*

b) Lib. 2. Ep. 1. his verbis: *Alba nec Assyrio fucatur lana veneno.*

c) Lib. 1. Aphor. XX. & XXXIV.

teriere, sed ingenuo quoque ex Cel. HEISTERI *d*) testimonio. Oritur, prouti arbitror, talis difficultas non solum ab eorum magna differentia, sed quoque summe diverso effectu, si vel minor vel major ejusdem subjecti datur dosis, quippe sapius id quod in minima dosi exhibitur, præstantissimum evadit medicamentum, quod tamen in alia paulo majori dosi exhibitum certissimum fit Venenum. Patet id ex Opio & Arsenico, prius enim ob vim anodynam magni est in medicina usus, posterius vero tanquam tutum & certum remedium in febribus intermittentibus tertianis FRICCIUS *e*) commendat. Non hinc aliena mihi videtur PARACELSI sententia, qui omnia Venena esse, nec sine Veneno quicquam existere asserere non dubitavit, solam dosin dicens facere, ut aliquid Venenum vel sit vel non sit. Hæc cum ita fuit comparata, nec quicquam in se, aut absolute Venenum dici queat, in formanda Veneni definitione id inprimis agam, ut in omnibus corporibus, si Venena evadunt, eas colligam characteres, qui $\tau\theta$ venenosum esse constituunt, & probe attendam ad circumstantias, in quibus id quod erat venenosum definit tale esse, & vice versa; sic enim procedendo non dubito, quin ipsam definitionem legitime formatam deprehendere queam.

§. III.

Si ad omnia Venena cujuscunque sint indolis attendimus, in omnibus deprehendere licet:

- 1) Quod sint corpora physica, quæ modo possunt esse sensibilia, modo tam subtilia, ut sensus nostros fugiant, atque sic insensibilia.
- 2) Quod, si Venena dici possint, corpori animali debeant

d) *Comp. Med. Pract.* Cap. XIX. §. 1.

e) *de Virtutibus Venenorum medicis* Cap. 2.

- applicari. Nullum hac ratione existit venenum in se spectatum, seu absolute tale; sed omnia Venena $\tau\theta$ venenosum esse acquirunt, si corporibus animalium applicantur. Si hinc dicitur Arsenicum, Mercurius sublimatus &c. est Venenum, hoc sibi nihil aliud vult, quam hæc corpora ejusmodi sunt constituta, ut si cuidam applicentur, ejus sanitatem evertere valeant.
- 3) Quod sic applicata statum animalis naturalem s. sanum, in præternaturalem sive morbosum evertant, & sic sanitatem lædant. Differre potest hæc læsio ita, ut vel citò vel tardius fiat sensibilis, de quo vero infra. Distinguitur per huncce characterem Venenum a medicamentis, quæ ad sanitatem læsam restituendam, & ab alimentis, quæ ad corpora nutrienda applicantur. Patet hinc in quo imprimis $\tau\theta$ venenosum esse sit constitutum.
- 4) Quod omnem hunc (nº. 3.) memoratum effectum producant ex vi propria qua gaudent. Hinc solæ partes constituentes ex natura sua qua gaudent talem effectum producant semper, si sibi sunt relictæ. Patet sic differentia quæ intercedit Venena inter interque instrumenta letifera. Et sic omnia Venena in genere sunt corpora, quæ animalibus applicata eorum sanitatem ex propria vi qua gaudent lædere possunt.

§. IV.

Variant viæ per quas Venena in corpora animalium deferuntur. In genere tamen applicantur vel externe vel interne; pluribus de utroque modo egit TRICHMEIERUS f); interim ratione viarum s. modi applicationis hoc notandum, quod prouti is differat, ita quoque ut plurimum differre curam in enervandis Venenorum viribus.

B

f) *Institut. Med. Leg. Cap. XX.*

§. V.

Dividuntur Venena vario plane modo, aliam enim hic, aliam ille exhibet divisionem. Veteres in triplicem Venena dispescuere ordinem, in erodentia, frigida & putrefacientia; sed cum hæc divisio non omne dividendum exhauriat, manca valde atque incompleta est censenda. Alii ea in animalia vegetabilia & mineralia, ut TEICHMEIERUS *g)*, ALLEN *h)* aliique dividebant; sed nec hæc divisio mihi arridet, sæpius enim secundum hunc divisionis ordinem Venena sunt conjungenda, quæ ratione modi agendi longe sunt diversa, & e contrario separanda, quæ ad unam, si curam spectamus, classem pertinent. Quanquam igitur majoris perspicuitatis, terminorumque explicandorum gratia varias maximeque usitatas Venenorum divisiones exhibebo; tamen in pertractandis Venenis modum eorum agendi specialiolem inprimis sequar. Dividuntur vero Venena ut plurimum triplici modo:

- 1) Ratione effectus, quem in corpore produciunt, si sanitatem respicis.
- 2) Ratione originis.
- 3) Ratione modi agendi.

§. VI.

Ratione effectus (§. præc. n. i.) omnia Venena ita sunt comparata, ut sanitatem vel perfecte tollant, ut sic mors sit consequens necessarium, vel talem non perfecte tollant, ideoque mortem non inferant, si prius tale Venenum vocatur proprie tale, mortale, letiferum, stricte dictum, si posterius tunc improprie tale, seu non mortale dicitur. Cæterum etiam venena mortalia iterum vel

g) loc cit.

h) *Synops. univers. Med. pract.* Cap. XVI.

citam mortem inferunt, vel lentam magis, unde quoque in acuta seu velocia, & in chronica sive terminata dispefcuntur. Sequitur hunc divisionis ordinem imprimis STENZEL *i*). Ad non mortalia referuntur sic dicta vina adulterata, philtra, venena abortum, sterilitatem, impotentiam &c. producentia. Est hæc divisio magis relativa & incerta; omnia enim venena ob divisionis ordinem mortalia dicta, possunt quoque esse non mortalia, & vice versa, prouti quantitas veneni, constitutio hominis, alique circumstantiæ variant.

§. VII.

Ratione originis (§. 5. n° 2.) Venena ordinario dividuntur in venena, vel quatenus a natura, qua talia proferuntur, ut Cicutæ, Belladonna, Oenanthe, vel quatenus arte quacunque componuntur, ut Arsenicum, Mercurius sublimatus, aliaque; in priori casu talia Venena naturalia, in posteriori vero arte facta vocantur. Naturalia insuper dividuntur in animalia, vegetabilia & mineralia.

§. VIII.

Missis jam his (§. 6. & 7.) propositis, ad pertractanda Venena ratione modi agendi (§. 5. n° 3.) me accommodabo. Est hic modus, si tam Theoriam quam Praxin huc pertinentem spectamus, longe reliquis præferendus; natura enim, & modo agendi cognito, facillime rei & rationi conveniens formari potest indicatio, ut tali modo pro rerum statu ægrotis misere decumbentibus vel levamen, vel ipsam sanitatem afferre possimus. Dividitur hic Venenorum modus agendi in generalem, qui omnibus

B 2

i) In *Toxicologia*.

omnino corporibus, si venena evadunt, est communis, & in specialem, qui saltem de hac vel illa classe valet.

§. IX.

Ut modus agendi Venenorum & generalis & specialis eo melius intelligi queat, antea dicendum, quid sit sanitas. Est autem hæc, iste status hominis viventis, quo fit, ut homo omnes actiones, quæ ei 1) ratione ætatis, 2) sexus, 3) vitæ generis, & 4) aliarum circumstantiarum conveniunt, decenti modo exercere valeat. Quicquid ergo efficit, ut hæ actiones debito modo peragi queant, istud est inter causas sanitatis referendum; producitur vero talis effectus a constitutione legitima partium corpus humanum constituentium, & sic quoque causæ sanitatis intelliguntur. Sunt tales partes corporis nostri in genere vel solidæ, vel fluidæ; constitutio itaque legitima 1) fluidarum nostri corporis partium consistit in earum a) quantitate, b) qualitate, & c) motu debito; 2) solidarum vero in earum a) conformatione, b) situ, c) connexionem d) ac numero decenti est quærenda. Quousque igitur hæc dicto sese habent modo, eoque homo omnes functiones rite peragere potest, ideoque est sanus, si in statu naturali constitutus; cum e contrario omne id, quod has sanitatis causas evertere aut labefactare possit, constituat causas morbi, atque effectus ab eis productus, vocetur status præternaturalis seu morbosus, vel etiam morbus.

§. X.

Omnia corpora, quæ ut Venena in corpore nostro agunt, s. omnia Venena (§. 3.) si in corpus nostrum quacunque via (§. 4.) pervenere, ratione modi sui agendi in genere (§. 8.) in eo conveniunt, quod constitutionem partium corporis nostri naturalem siue solidarum siue fluidarum

darum, five utrarumque simul in præternaturalem, vel quod idem est, statum sanitatis (§. præced.) in statum morbi commutent.

§. XI.

Prouti vero sanitas a variis causis concurrentibus (§. 9.) dependet, ita quoque totidem causis immediatis status morbi originem suam debet. Causæ vero mediatae morbi sunt admodum variæ (per princ. Pathol.), omniaque corpora tales evadere possunt, si vel ob partium constituentium qualitatem, vel quantitatem causas sanitatis evertere possunt; diversitas vero partium eminentium & ad producendum huncce effectum præ cæteris concurrentium, ut sic hæc læsio sanitatis magis fiat determinata, constituit modum agendi Venenorum specialem.

§. XII.

Pertinet ad hunc modum agendi specialem (§. præc.) omnis singularis mutatio, quæ ab applicatione Veneni (§. 3.) in corpore oritur, si hæc imprimis a partibus, quibus tale corpus gaudet, producitur; est hic imprimis sextuplex; possunt enim corpora, si Venena evadunt, agere

- 1) ut corrosiva;
- 2) ut acria, quatenus cum principio quodam alio adhuc noxio sunt juncta;
- 3) ut stupefacientia;
- 4) quatenus respirationis negotium turbant;
- 5) ut inspissantia & exsiccantia;
- 6) quatenus mutationes suas noxias in corpore producant modo nobis adhuc incognito.

§. XIII.

Patet ergo ex dictis (§. 3. seqq.) omne corpus animali

quidam applicatum agere ut venenum, si tales possidet qualitates, quæ constitutionem partium naturalem in præternaturalem commutare valent; sed cum læsio hæc, quæ tali modo exoritur, semper sit 1) determinata, 2) ut effectus, qui causam suam necessario habet, considerari queat, necessario exinde fluit, omnia Venena tunc demum talia evadere, si a) ratione partium suarum constituentium sanitatem in statum præternaturalem permutare valent, (§ 9. & 10.) & b) si in determinata fatis quantitate applicantur. Constituit hoc præcipue lethali-
tatem Veneni; nam omne quidem Venenum partibus suis constituentibus convenientem producit effectum, ut scilicet sanitatem lædat, sed hic non semper est lethalis. Hinc intelligitur, nullum dari Venenum, quod absolute mortem producere queat, sed id pendere 1) ab eorum quantitate, 2) qualitate, ac tandem 3) a constitutione corporis, cui applicatum fuit particulari. Hinc si Medico de morte cujusdam Veneno sublatis iudicium quoddam ferendum, ad omnia hæc probe ut attendat necesse erit.

§. XIV.

Venena corrosiva (§. 12. n° 1.) talia evadunt vel ob Salium, quibus gaudent, magnam copiam, in angusti-
ori spatio concentratam, ubi quoque acria dicuntur, vel ob figuram, qua gaudent, maxime acutam, quo in casu
mechanica vocantur. Agunt in genere irritando fibras
musculares, papillulasque nerveas, corrodendo, perfo-
rando, atque omnes motus corporis pro eorum natura
vel magis vel minus turbando.

§. XV.

Ad Venena mechanica, quæ ob figuram lædunt (§. præced.), & dum irritando & dissecando agunt, acrium
actiones imitantur, pertinent omnia corpora duriora ad-

modum acuta deglutita, ut spiculæ Adamantis, Vitri,
Cryſtalli montanæ, acus & quæ hiſce ſunt ſimilia.

§. XVI.

- Venena acria (§. 14) triplicis ſunt generis;
- 1) Acida; referri debent ad hæc omnia Acida maxime concentrata, inprimis vero mineralia, ut Spiritus Salis, Nitri, Vitrioli, Sulphuris, Aluminis, & alia, quæ hiſce adſcribi adhuc poſſunt. Agunt hæc inprimis præter dicta (§. 14.), dum humores valde coagulant, partesque conſtringunt.
 - 2) Alcalina. Pertinent huc omnia Salia cauſtica, partes animalium putrefactæ, miasmata variorum morborum maxime exitialium, omniaque fere corpora, quæ ob Salia Volatilia agunt ut Venena. Modus agendi horum Venenorum præprimis conſiſtit in eo, ut putredinem in corpore mire producant atque accelerent.
 - 3) Acria mixta, quæ dicuntur talia corpora, quibus præter acrimoniam qua gaudent ineſt aliud adhuc principium quoddam noxium (§. 12. n°. 2.), diſtribuuntur talia duplici modo, proveniunt enim talia corpora vel ex regno minerali, vel vegetabili.

§. XVII.

Pertinent ad talia acria mixta ex regno minerali, quorum modus agendi jam ex dictis (§. 14.) patet,

- 1) Varia metalla a ſalibus concentratis, & copioſis corroſa, & in varias ſpecies redacta, referuntur huc omnes metallorum ſolutiones, præcipitationes non edulcoratæ, Lap. infernalis, butyrum Antim. ſublimata metallica, mercurialia, aliaque Antimonii præparata varia, in quibus pars regulina maxime eminet.
- 2) Mineralia quædam, ut Cobalti mineræ, Smalta, Arſenici ſpecies omnes, Alumina, Vitriola eorumque mi-

neræ, quæ omnino ratione terræ suæ admodum adstringentis metallicæ, summæque acrimoniæ huc referri possunt, variaque adhuc mineralia hujus indolis.

§. XVIII.

Ex regno vero vegetabili huc pertinent omnia ista vegetabilia, quibus præter admodum insignem summamque interdum acrimoniam adhuc inhæret alia qualitas, ut plurimum vero viscidum. Varius plane est modus, quo hæc nocivam suam in corpore edunt vim, differt enim prouti vel viscidum vel acre, magis vel deficit vel eminet; in genere tamen valet quæ (§. 14.) dicta sunt. Reperitur talium vegetabilium tantus numerus, ut uberiores eorum nec recensionem, nec pertractationem limites hujus Diss. capere queant; sufficiat quædam solummodo in medium protulisse. Sunt vero e horum numero Aconitum, Agaricus, Clematidis, Colchicum, Colocynthis, Cyclamen, Gummi guttæ, Laureola, Lauro cerasus, Mangas bravas, Nuxvomica, Napellus, Oenanthe, de cujus virulentia egregius legitur casus apud ALLENIUM *k*), Oleander, Ricinus, Scammonium, Venenum Macassarense ex descriptione KEMPFERI *l*), quæ cum variis aliis bene exposita ac observationibus illustrata reperiuntur in STENZELII *Toxicologia*. Inprimis adhuc huc referendos duco varios fungos venenosos, eosque præcipue, qui rubro induti colore acres, lactescentes & maculosi sunt, comesti vero teste STENZELIO *m*) spasmos, suffocationis metum, ventriculi aggravationem, ischuriam generant, superficiemque corporis flavo colore inficiunt; pleni præterea substantia quadam venenosa censentur a KIRCHERO *n*).

§. XIX.

k) *Synops. unio. Med. pract.* Cap. XVI. Art. 16.

l) *Amanit. exot.* Fascic. III. Obs. 10.

m) *Toxicol.* Libr. II. pag. 51.

n) *Scrutin. Pestis* Sect. I. Cap. 6.

§. XIX.

Differunt a memoratis (§. præc.) ratione partium constituentium non multum ex plantæ succique, qui hoc peculiare habent, ut vel comesta, vel folis exhalationibus sensus obtundant, planeque interdum evertant; vocantur talia inprimis stupefacientia (§. 12. n^o. 3.). Consistit horum modus agendi inprimis in eo, ut

- 1) In sanguinem delata, hunc admodum resolvant, qui sic resolutus necesse sub eadem quantitate majus occupat spatium, quam antea; factò hoc vasa sanguifera magis extenduntur, nervi premuntur, ita ut hancce ob pressionem fluidum nerveum in partes externas sentientes, prouti in statu sano, influere nequeat.
- 2) Ob maximam eorum subtilitatem per papillulas nerveas sese spiritibus animalibus immisceant, tales inspissent, sicque ad circulum s. influxum ineptos reddant.
- 3) Ad nervos delata talia irritent, atque ad spasnum disponant, ut sic motus fluidi nervei impediatur.
- 4) Massam humorum ad secretionem spirituum animalium ineptam reddant. Quinam vero inprimis modus agendi huic, vel illi specialissime conveniat, id ex determinato effectu, ac natura semper patebit.

Referuntur ad talia Venena inprimis Belladonna, Ci-
tuta omnis, Datura, Hyoscyamus, Lolium, Nicotiana,
Manioc, Poma amoris, Solanum, Opium; nec non efflu-
via variorum florum, ut Coronæ imperialis, Laureolæ,
Sambuci, Juglantis o), Croci, quæ præ ceteris somnum
altum, imo lethalem produxisse BORELLUS p), AMATUS
LUSITANUS q), GEOFFROY r) testantur.

C

o) LOESEKE *Abhandlung der auserlesenen Arzneymittel* p. 570.

p) *Hist. rariorum Med. Phys.* Cent. IV.

q) In *Enavratione ad Libr. I. Cap. 25. Dioscorid.*

r) *Mat. Medical.* Tom. III. Art. VIII.

§. XX.

Prius vero quam hæc Venena acria mittamus mentio adhuc est facienda eorum, quæ inprimis suffocantium numero veniunt (§. 12. n°. 4.). Agunt hæc dum 1) homini aërem vel subito demunt, vel rarefaciunt, 2) fibras pulmonum & asperæ arteriæ violenter constringunt, & ad agendum ineptos reddunt, sicque pulmonum actionem, respirationem scilicet, tollunt. Ad talia referenda sunt exhalationes spiritus Nitri fumantis, vapores sulphurei, Lithanthracum, carbonum in locis clausis, musti in fermentatione constituti, it pulveres farinosi salini subtilissimi in aëre hærentes, sicque per respirationem in corpus delati, fulgur, exhalationes minerales, mercuriales, & quæ hisce sunt similia.

§. XXI.

Venena inspissantia atque exsiccantia (§. 12. n°. 5.) iterum pro eorum modo, quo agunt in corpore, triplicis sunt generis; agunt enim vel

- 1) ob viscidum glutinosum, quo scatent, massamque humorum inficiunt; tali enim modo hæc tenax, ac ad circulum inepta redditur. Pertinent ad hæc omnes fructus sero viscido abundantes, quales sunt Cucurbitæ, Ficus, Cucumeres, Meloepones, de quibus varias observationes collegit STENZELIUS^{s)}, Semen Psyllii, Rad. Salab, Viscus, varii Fungi.
- 2) Ob partes specificè graviore metallicas, quæ Salibus in sanguine plura dant puncta contactus, ita ut Salia, modo in motu constituta, atque activa, nunc particulis hisce adhærentia, atque quatenus quiescentia consideranda, in humores secundum leges naturæ non agere, eosque resolvere possint (per principia physica); sic

s) In *Toxicol*, Libr. II. locis variis.

enim humores coeunt, & circulus magis lentus redditur. Sunt e horum numero omnia Saturnina, ut Cerrussa, Minium rubrum & Luteum, Lythargyrium, de quo in specie legi meretur ZELLERUS t), GOEKELIUS u) & STOCKHAUSEN x), Plumbum ustum, Acetum Saturni, quod ut Cosmeticum a foeminis interdum in usum vocatur, jure vero suspectum redditur, quippe ultimato phthisin teste BOERHAAVIO y) generat; Saccharum, Minera Saturni, Cinis stanniusti, omniaque Jovis preparata; etsi enim varia hujus metalli preparata interni sunt usus medici, tamen haec medicamenta vel nunquam vel in causa pene desperata a Medico prudenti adhibentur; quippe semper sui vestigia noxia in corpore relinquunt.

- 3) Ob crassiores terreas particulas, quae lympham serumque absorbent, tale particulis terreis, Tartareis inficiunt, sicque inspissant atque exsiccant. Referuntur ad hanc classem omnia terrea adstringentia, ut Gypsum, Calx, Terra varia, Cretae, Boli; Aquae variae talibus partibus Tartareis & terreis repletae, quae inprimis si magnam quantitatem ejusmodi materiae vehunt, aquae petrificantes dicuntur. Facit talium mentionem PLINIUS z); insuper & hodie in Styria, Episcopatu Salisburgensi, Hungaria, Bohemia, variisque Germaniae locis scimus talem reperiri Aquam, quae hausta scrophulas, obstructions, scirrhusque glandularum copio-

C 2

t) In Docimasia, qua signa & noxam vini Lythargyrio adulterati tradunt.

u) In seiner Beschreibung des durch Silberglätt verfürzten sauren Weins, und der davon entstandenen unerhörten Weinkrankheit.

x) In Tr. de Lythargyrio noxio.

y) In Element. Chymiae Tom. II, Proc. CLXXII,

z) Lib. II, Cap. 103.

fos generat. Legi præterea circa hæc merentur STENZELIUS *a*) it. LINDESTOLPE *b*).

§. XXII.

Ad Venena vero, quorum modus agendi non certo constat, nec satis perspicitur, Heteroclitia alias (§. 12. n^o 6.) vocata, pertinent varia animalia, quæ imprimis morfu vel ictu nocent, ut Apes, Aranea, Aspis, Bufo, Buprestis, Cantharides, Canis rabidus, Ceraustes, Crabro, Lepus marinus, Prester, Pastinaca marina, Salamandra, Scorpius, Seps, Stello, Tarandula, Vipera aliaque huc referenda animalia. Probabiliter agunt plurima horum animalium in corpore nostro ut Venena, si materiam quandam sulphureo-acrem humoribus immiscent, quæ in humoribus nostris agit ut fermentum, humores subito permutando, destruendo, ut pro natura & efficacia materiæ modo citius, modo tardius, noceat. Notandum præterea, quod talis materia sit 1) maxime subtilis, 2) non facile suam commutet naturam, prouti ex Veneno canis rabidi patet, quod sæpius diu latet, donec tandem horrendas suas edit vires. Certo quoque huc referri possunt modo omnia contagia morborum, tam acutorum quam chronicorum, ut materia, variolacea, scabiem aliosque morbos febriles producere valens, miasma venereum & quæ hisce sunt similia; porro venenosæ Aëris qualitates, nebulæ, quæ interdum morbos periculosos epidemicos generant, quæ omnia probabiliter ob qualitates jam dictas, modoque explicato agunt.

§. XXIII.

Inter Venena porro (§. 3.) referri possunt
1) omnia medicamenta sinistre applicata, causamque

a) In *Toxicol.* Libr. I.

b) In *Libro de Venenis* Cap. VIII.

morbi aletia; medicamentum enim est omne illud corpus, quod corpori humano applicatur eo fine, ut sanitatem læsam restituat; quamprimum igitur loco sanitatis promovendæ morbi causam (§. 9.) alit vel auget, absolute Venenum ut evadat necesse est (§. 3. it. 9. 10. 11). Sic. gr. fortiter adstringentia in Dysenteria, cujus causa est acre biliosum fortiter intestina irritans, evadunt Venena; hoc enim in casu noxium in corpore manet, vires suas in intestina exercere, magisque nocere potest. Quodsi vero Oleosa blanda; mucilaginosæ, lenia evacuantia, quippe quæ indicantur, adhibemus, quæ evacuando, ac acre involvendo causam morbi imminuunt, ne tanta vi noceat, tunc talia in hocce casu medicamenta erunt.

- 2) Omnes causæ morborum tam immediatæ, quam mediata & occasionales, quæ ex Pathologia patent.

§. XXIV.

Effectus, quos Venena in corpore animali cui applicata sunt producant, variant, prouti variat.

- 1) Venenum ipsum.
- 2) Locus, in quo Venenum vel hæret vel fuit applicatum.
- 3) Subjectum, cui applicatum fuit, ratione ætatis, temperamenti, habitus corporis aliarumque circumstantiarum.

§. XXV.

Si Venena ipsa (§. præc. n°. 1.) consideramus ratione effectuum, quos in corpore producant; notandum, quod hi admodum sint varii, prouti Venena ipsa differunt; sic enim in genere

- 1) Effectus Venenorum acrium (§. 14- 18.) in irritatione & affluxu omnium humorum versus locum inprimis affectum aucto consistunt, ut sic tumores, acuti dolores, inflammationes, gangræna & sphacelus, anxietates,

cordis palpitationes, vertigo, deliria varia, resolutio humorum putredinosa, omniaque symptomata, quæ irrationem muscutorum atque nervorum pro causa agnoscunt, ut vomitus, singultus, convulsiones spasmus tum particulares, tum universales, sudores frigidi, frigus extremorum, vel etiam soluta unitas oriuntur.

- 2) Venena stupefacientia (§. 19.) sensuum hebetationem, abolitionem, somnum maxime profundum morti similem, capitis dolorem obtusum &c. efficiunt.
- 3) Venenorum suffocantium effectus, prouti (§. 20.) ex modo agendi patet, in respiratione impedita, suppressa, suffocatione variisque pulmonum affectibus, ut tussi violenta, hæmoptysi consistunt.
- 4) Effectus, quos Venena inspissantia (§. 21.) gignunt, sunt omnes morbi, qui ab obstructionibus viscerum, tum depuratoriorum, tum reliquorum exoriri possunt, ut phtisis, atrophia, tabes dorsalis, languor, pallor, scirrhi, scrophulæ, impotentia, sterilitas, variaque adhuc alia his similia symptomata, tandemque mors.
- 5) Effectus, quos Venena heteroclitica (§. 22.) in corpore produciunt, maxime sunt diversi, prouti ipsa hæc Venena maxime inter se differunt; interim tamen notandum, quod eorum effectus vel quodammodo conveniant cum effectibus acrim, vel præcipue consistant in deliriis variis ut plurimum lethalibus, vel etiam si forsitan miasma quoddam morbosum fuerit, in morbis similibus.
- 6) Effectus, quos produciunt ista Venena, de quibus agit (§. 23. n. 1. & 2.), sunt omnes omnino morbi, qui ex pathologia patent, horumque vis & periculum majus, ut ægro tandem sit succumbendum.

§. XXVI.

Effectus Venenorum, si imprimis locum applicationis

(§. 24. n°. 2.) consideramus, prouti modus applicandi, in genere est duplex; Venena enim omnia applicantur vel externe, vel interne (§. 4). Interne si sunt applicata omnes venient effectus, quos Venenum pro sua natura producere valuit, mittamus jam hos (§. præc.) explicatos, & accedamus ad effectus, qui a Venenis producuntur externe cuti applicatis; differunt hi inprimis, prouti differt Veneni a) activitas, b) subtilitas, c) natura; sunt tales inprimis corrosio, inflammatio, gangræna, sphacelus, & fere omnia symptomata, quæ usum internum sequuntur, hac tantum differentia, quod interne applicata citius, externe vero tardius noceant, varias enim partes solidas corrumpere & destruere debent, usque dum sese fluidis immiscere, ac inimicos suos effectus producere valent. Confirmant id LINDESTOLPE c), STENZELIUS d), WEPFER e), qui notabile exemplum affert puellæ, cui phtiriasi capitis laboranti, per errorem Arsenicum butyro permistum illinebatur; oborti sunt sævissimi dolores, vigiliæ, intumescencia totius capitis deliquia, delirium &c. adhibita justo tardius medicamenta erant frustranea, & puella tandem misere obiit.

§. XXVII.

Ratione subjectorum Venena applicata (§. 24. n°. 3.) diversos producunt effectus, prouti subjecta sunt diversa, in genere tamen sequentia probe sunt notanda:

- 1) Venena eo atrociora, fortiora, & magis lethalia evadere, quo
 - a) sensibilius systema nervosum,
 - b) siccius & calidius temperamentum,

c) *de Venenis* Libr. III. Th. 6.

d) *Toxicol.* Libr. I.

e) *Tr. de Cicuta aquatica* Cap. XXI.

- c) gracilior habitus corporis,
 - d) rigidiores, magisque elasticae fibrae musculares in ejusmodi subjecto deprehenduntur, ac quo tandem
 - e) magis intemperies hominis forsitan praesens ad naturam Veneni accedit.
- 2) Venena multum de eorum vi noxia amittere, nectam cito, tamque violenter agere, si in homine, cui applicata sunt, deprehenduntur.
- a) Habitus corporis magis serofus, obesus, eamque ob causam
 - b) systema nervosum minus sensibile,
 - c) temperamentum phlegmaticum,
 - d) primae viae obductae multo mucosae admodum tenacis, spissae,
 - e) multa materia cruda, Veneni naturae contraria, vel in primis viis, vel tota massa sanguinea haerens,
 - f) singularis quaedam idiosyncrasia; quae etiam causa potest esse, ut Venenum quoddam magis eveniat lethale.

§. XXVIII.

Valent haec (§. 27. n°. 1. & 2.) dicta de omnibus fere Venenis, folis viscidis, inspissantibus & exsiccantibus exceptis, quippe quae majorem vim nocivam exerunt praesentibus circumstantiis (§. praec. n°. 2. a-f) allegatis, & e contrario minus detrimentum afferunt, si eae circumstantiae obtinent, de quibus (§. praec. n°. 1. lit. a-e) fuit dictum; talia enim viscida fortiori vi contractili musculorum, & vasorum eorumque robore magis resolvuntur, ut non tam facile nocere queant.

§. XXIX.

Ex his igitur (§. 27. n°. 1. 2. & §. 28.) dictis patet;

- 1) Cur Venena in infantibus, ceteris paribus, magis existant nociva ac lethalia, quam in robustioribus?
- 2) Sub-

- 2) Subjecta temperamenti cholericæ ac sanguinei relative prius posse Venenis succumbere, quam phlegmaticos.
- 3) Quomodo fiat, ut sæpius reperiantur homines, qui satis magnam dosin Veneni impune sumserunt, quæ sufficeret ad plures alios enecandos.
- 4) Cur unum, idemque Venenum sæpius huic magis, illi minus noceat? Notabilem sic nobis exhibet observationem HENRICUS AB HEER f) de pluribus hominibus, qui vice Oryzæ Arsenicum, farinæ edulio commixtum, comederunt, quorum alii, qui parum ederant biberantque, statim sublati fuere, alii, qui majorem assumerant quantitatem, excitato vomitu, pristinam, eamque integram recuperarunt valetudinem. Item SENNERTUS g) Experientia, inquit, observatum est, in eadem mensa, pluribus idem Venenum a venefico propinatum fuisse, non tamen omnes eodem tempore obiisse, sed alios mox, alios post aliquot dies, alios post aliquot menses, alios præterlapso anni spatio.
- 6) Cur non dentur Venena terminata stricte dicta, ita ut antea determinari queat, quod homo hoc, vel illo Veneno accepto necessario, præterlapso certo tempore, ut hebdomade, mense &c. moriatur.

§. XXX.

Explicatis sic Venenorum effectibus jam ordinis ratio postulat, ut in diagnosin, seu signa inquiramus, ex quibus concludi potest, subjectum quoddam Venenum accepisse; intelligitur id inprimis

- 1) ex effectibus Venenorum. (§. 24. seqq.)
- 2) Ex symptomatibus præsentibus, si talia ita sunt comparata, ut pro effectibus Veneni accepti possint haberi.
- 3) Si talia symptomata subito apparuere.

D

f) *Libr. selectarum Observ. Hist. XVI.*

g) *Præceos Libr. II. Cap. XII.*

- 4) Si subjectum antea fuit sanum.
 5) Si nullum diætæ vitium gravius commisit. His enim probe perpenfis, collatisque, non erit difficile determinare, an subjectum quoddam Venenum acceperit, nec ne.

§. XXXI.

Prognosis circa hanc materiam admodum est incerta, nec in genere determinari potest. Magna enim Venenorum est differentia; varius hinc a variis causis necessario oritur effectus, & exitus. Interim tamen probe perpenfis, quæ (§. 13. & §. 27 - 29.) sunt dicta, adhuc sequentia sunt notanda:

- 1) Eo majus semper esse periculum, quo major copia Veneni in corpus pervenit,
- 2) quo magis symptomata, ratione vehementiæ, ac numeri excedunt,
- 3) quo plures partes ad vitam necessariæ affliguntur.
- 4) Eo majorem semper esse spem salutis, quo plures adfunt circumstantiæ his prolatis contrariæ,
- 5) quo magis symptomata usui medicamentorum rite adhibitorum cedunt.

§. XXXII.

Pertractata sic Venenorum theoria, ad methodum, quo Venenorum vires, quantum fieri potest, expugnantur, sicque hominibus, carissimæque vitæ spei jamjam labefactatæ consulitur, ideoque ad praxin, me convertam, quam, quoniam pro Venenorum natura, modo agendi, tempore & loco applicationis admodum est varia, secundum ordinem, in antecedentibus receptum, exhibebo.

§. XXXIII.

Si Medico homini, in quo Venenum quoddam hæret, est succurrendum, in genere sequentes duæ indicatio-

nes probe sunt notanda; indicat enim omne Venenum

- 1) materiæ venenosæ evacuationem;
- 2) hujus materiæ, si prior forsitan indicatio non sufficeret, vel nimis fero fuisset adhibita, alterationem, seu immutationem per medicamenta (§. 23. n. 1.) Veneni naturæ contraria; consistit hæc in genere in eo, ut qualitas Veneni noxia commutetur in talem statum, ut non amplius nocere queat.

§. XXXIV.

Omne hinc Venenum, quod externe fuit applicatum, Medico semper indicat (§. præc. no. 1. & 2.) ejus

- 1) evacuationem; peragitur hæc per derivationem humorum versus superficiem corporis, inprimis vero versus locum, in quo Venenum fuit applicatum. Fit hoc varia ratione, ope a) emollitionis per balnea, b) scarificationis, c) cucurbitularum, d) cauteriorum actuum, e) inprimis vero sudoriferorum per Alexipharmaca, Theriacalia, Bezoardica &c.
- 2) Alterationem, quæ obtinetur, dum parti affectæ applicamus talia, quæ Venenum immutare possunt, qualia sunt diluentia, pinguia, mucilaginosæ, Vinum, Acetum, Acida dulcific., si talibus partem abluimus affectam; in usum possunt vocari hæc, quæ inprimis ob Acidum, quo gaudent, agunt, si Venenum in corpus fuit delatum per morsum animalis rabidi; in tali quoque casu, Acida interne sumta, egregii sunt usus, teste experientia.

§. XXXV.

Si vero Venenum interne per os fuerit sumtum, tunc præcipue Medico attendendum est

- 1) An Venenum sumtum sedeat adhuc in ventriculo, vel in intestinis? Cognoscitur id ex tempore a quo Vene-

- num in corpus fuit delatum, & symptomatibus præsentibus.
- 2) An jam sit erosio ventriculi facta, nec ne? Talem factam esse Medicus potest scire, partim ex tempore Veneni sumti, atque symptomatibus, partim ex spuito cruento præsentibus.
 - 3) An Venenum jam transferit ad secundas vias, atque sese jam immiscuerit humoribus corporis? Pro omnibus enim hisce circumstantiis cura admodum variat.

§. XXXVI.

Si Venenum adhuc sedem suam habet in primis viis (§ præc n^o. I.), tunc si natura Veneni postulat, curatio est adhibenda

- 1) Per evacuationem; circa quam præterea notandum, an materia evacuanda vel adhuc in ventriculo, vel jam in intestinis sit sita. Quod si enim in ventriculo adhuc hæret, uti hoc ex tempore, & symptomatibus patet, tunc Medico omnis cura eo est dirigenda, ut talem evacuet via brevissima scil. per vomitum Excitatur talis optime largiter haustis, aquosis, cum, vel sine pinguibus, ut butyro &c. oleosis, ut oleo olivarum, amygdalarum dulcium, & emulsionibus ex seminibus Melon. Cydoniorum, Amygdalarum dulcium, cum Gummate Arabico, & Syr. de Althæa, confectis; sed non sufficit semel vomitum provocasse, continuandus est is tam diu, donec nulla amplius Veneni in ventriculo deprehenduntur indicia, si præsertim nulla adsunt contraindicantia. Si vero jam ex symptomatibus aliisque circumstantiis concludere licet, talem materiam venenosam jam ad intestina penetrasse, tunc lenia purgantia ex Cassia, Manna, Rhabarbaro in usum sunt vocanda, non neglectis clysteribus ex oleosis, mucilaginosi, ut Gummate Saleb, in sufficienti quantitate lactis soluto, præparatis.,

quippe quibus ejusmodi materia elui, atque sic evacuari potest.

2) Per alterationem (§. 33. n°. 2.). Fit hæc non uno eodemque modo, quia nec Venena, nec eorum naturæ sunt eadem, hinc in sequentibus talem, ordine jam in antecedentibus (§. 12. feqq.) recepto, trademus.

§. XXXVII.

Si Venenum acceptum erit mechanicum (§. 15.) tunc impediendum (§. præc. n°. 2.) ne ob figuram acutam tam vehementer noceat; obtinetur id

- 1) Per acuminis immutationem, vel obtusionem; quod, si corpora erunt ferrea, fieri poterit per pauculas guttulas spiritus Vitrioli, Salis, Nitri, pluribus unciis aquæ immistas, atque deglutitas, ut sic superficies acuta corrodat; sine autem talia corpora ab acidis corrodi non poterunt, ut spiculæ Adamantis, vitri &c. tunc talia sunt obtundenda variis oleosis, pultibus, pinguibus, lacte &c. comestis.
- 2) Per imminutam actionem ventriculi in talia aculeata corpora, quod fieri potest per venæsectionem, & opiata in usum vocata, quippe quæ vim vitalem imminuunt, ne fibræ ventriculi sese tam vehementer constringant, ac in tale corpus agent.

§. XXXVIII.

In curandis vero Venenis acidis (§. 16. n°. 1.), ut indicationi (§. 33. n°. 2.) satisfiat, inprimis eo est respiciendum, ut Salia hæc acida

- 1) Magis diluantur, quod optime obtinetur per sufficientem quantitatem aquæ, cum mucilaginosi & pinguius mixtæ, ac in corpus delatæ
- 2) Obtundantur per oleosa blanda varia, Salia circumstantia, ut sic eorum actio imminuatur.

- 3) Commutentur in Salia media, quod fit per contraria Alcalica sc. & caustica, ut per Sal Tartari, Oleum Tart. per deliquium; it. per absorbentia acidi largiora, qualia sunt Lapides cancrorum, Conchæ, Matric. perlarum præparatæ, Corall. præparata.

§. XXXIX.

Venena vero Alcalina, ac caustica (§. 16. n^o. 2.) alterantur (§. 33. n^o. 2. & §. 36. n^o. 2.), æque per contraria prudenter, pro natura Veneni particulari, adhibita. Sunt in hoc casu Acida cum vegetabilia, tum mineralia, egregia medicamenta. Optimum inprimis est antidotum Acetum vini bonæ notæ, in substantia, vel cum aqua dilutum, ingurgitatum, quod jam veteres, pro tali agnoscentes, magni habuere. Porro hic conducunt omnes succi vegetabilium acidi, ut Citri, Berberum, Ribesiorum, Cerasorum acidorum, omnesque syrups exinde confecti largiter assumpti, variaque decocta huc pertinentia. In usum quoque vocari possunt Acida mineralia, ut Clyffus Antimonii, omnes Spiritus acidi dulcificati & non dulcificati in aqua diluti, Terræ variæ pingues, & Boli absorbendi sine adhibiti.

§. XL.

Si Venena erunt acria mixta (§. 16. n^o. 3. & §. 17. & 18.), tunc eorum vi nocivæ non neglectis dictis (§. 36. n^o. 1.) æquali modo resistendum.

- 1) Per diluentia, ut in antecedentibus dictum (§. 38.).
- 2) Per lac cum oleosis blandis largiter haustum.
- 3) Per omnia pinguia & oleosa.
- 4) Per absorbentia & opiata præ rerum circumstantiis adhibita.

§. XLI.

Si ingesta in corpus humanum erunt stupefacientia, seu narcotica (§. 19.), tunc præter dicta (§. 36. n°. 1.) imprimis respiciendum, an tale Venenum magis, vel minus sit acre; si egerit magis ob acre, quod semper ex natura patet, ut Cicutæ v. gr., tunc Oleosa, Absorbentia, Acida, (si Venenum Alcalinæ magis fuerit naturæ) ut præparata ex Melle, Oxymel simplex, & scilliticum, Clyffus Antimonii, Diluentia ex Tamarindis cum Aceto mixta, ad obtinendam commutationem partis nocentis erunt optima, si vero magis ob principium vaporosum sulphureo-falinum volatile noxas affert, ut v. gr. Opium, tunc imprimis Vina Acido magis abundantia, ut Rhenanum, Aceta, Succu vegetabilium, Acidi varii, Venæsectio, Potulenta varia calida Theiformia, Veneni naturæ resistentia, Theriacalia, Confectio de Hyacintho, Alkermes, Tincturæ Bezoardicæ, Absorbentia, ut Lapis Bezoardicus, Oculi Cancrorum, Mixtura simpl. Paracelsi, excipientia aromatica spirituosa externe adhibita, adpersio, atque missio in aquam frigidam, in usum sunt vocanda.

§. XLII.

Venena inspissantia, atque exsiccantia (§. 21.) immutantur seu alterantur imprimis per resolventia & diluentia, ut Salia media, volatilia, saponacea, oleosa, Mercurialia, imprimis si Saturnina fuerint, item per Acida, quæ terrea magis resolvunt. Sed cum talia corpora non cito, sed tardius, multo jam temporis spatio præterlapso, nocere soleant, si jam ad massam humorum penetravere, hæc alteratio in primis viis quam rarissime locum habet, quippe semper prior indicatio (§. 36. n°. 1.) in tali casu exoptationem spondebit eventum.

§. XLIII.

Venenorum heteroclytorum (§. 22.) alteratio (§. 36. n^o. 2.) patet jam maxima ex parte ex (§. 34. n^o. 2.) ideo, quia ut plurimum externe applicantur. Si vero in corpus fuerint delata, tunc, quia in primis ob Sal volatile Alkali-
num, humores ad putredinem maxime disponens, agunt, ut Cantharides, omnia Acida (ex §. 39. , Lac, quod in primis Cantharidum vires imminuit, teste LOESECKE *b*), lenia pingua, adhiberi poterunt, quippe quæ talem acrimoniam debilitant, sicque vim nociferam auferunt.

§. XLIV.

Alteratio demum, quam postulant dicta (§. 23. n^o. 1. & 2.) non solum ex eorum natura patebit, sed quoque in omnibus compendiis practicis pluribus explicatur; quare hanc, cum limites hoc in tentamine mihi præfixos transcenderent, mittam. Patet sic alteratio, ex (§. 36. n^o. 2. seqq.) omnium Venenorum, si talia in primis adhuc hærent viis.

§. XLV.

Quodsi vero ex symptomatibus, tempore, ac natura Veneni erosio ventriculi (§. 35. n^o. 2.) jam facta cognoscitur, tunc, etsi ut plurimum de ægrotto actum erit, tamen ratione curæ, forsan in tali casu adhuc instituendæ, notandum

1) quod evacuatio per vomitum nullum amplius habeat locum, quippe qua erosio periculosior redderetur.

2) quod

b) In seiner *Mat. Med.* pag. 287.

2) quod omnis expectanda salus sit ponenda in crebriori & copioso usu Aqueorum inviscantium, ut Mucilaginis Seminis Cydoniorum, Psyllii, Rad Altheæ in aqua dilutæ, vel Gummi Saleb, e. gr. drachm 1. in 2. unciiis Lactis soluti, Oleoform blandorum, pinguium, pro rerum circumstantiis absorbentium terreorum, similibumque adhibitorum.

§. XLVI.

Si Venenum in corpus humanum delatum jamjam ad secundas vias, seu massam sanguinis (§. 35. n°. 3.) prouti id ex symptomatum violentia, ut anxietate, palpitatione cordis, sensuum læsione majori &c. patet, transit, tunc ejusmodi materiæ pari modo, ut (§. 34. & 36.) indicatur.

1) Evacuatio. Ratione hujus indicationis attendendum, an talis materia evacuanda jam apta sit ad evacuandum vel non. Si prius, tunc derivatio versus superficiem atque sic evacuatio per Sudorifera, Diaphoretica, Bezoardica & Alexipharmaca obtinetur. Possunt talia medicamenta esse admodum in hocce casu varia, hinc a Medico rationali prudenter eligi, atque adhiberi debent; si vero postterius, tunc talis materia apta ad evacuationem est reddenda, quod fit, si viscida, per resolventia vel calida, vel frigida pro diversitate viscida adhibita, si vero ratione alius qualitatis peccat vitiosæ, tunc apta reddenda per idonea medicamenta qualitati vitiosæ contraria, ut id ex omni methodo medendi rationali patebit.

2) Alteratio, quæ, prouti in antecedentibus (§. 38 - 44.) traditum, instituenda, inprimis vero si ejusmodi materia

a) fuerit acris, obtundentia, immutantia Salium cum

E

- Acidorum, tum Alcalinorum, mucilaginoſa &c. ſunt adhibenda.
- b) Reſolutionem humorum majorem putredinoſam efficiet ad coagulantiã, antiputredinoſa, acida, pro varietate Veneni varia, eſt confugiendum.
- c) Coagulum humorum inducit, reſolventia, pro cauſa coaguli diverſa, in uſum ſunt vocanda.

§. XLVII.

Si tandem Venena ſuffocantia, quorum actio, & effectus ex (§. 20. & 27.) patent, in corpus humanum fuerint delata, tunc omnis medela in eo verſatur, ut reſpirationis negotium vel magis, vel minus ſuppreſſum reſtituatur, circulusque ſanguinis, quantum fieri poteſt, per pulmones integer fervetur. Admodum quidem difficile his indicationibus ſatiſfit, quia aditus medicamentorum ad pulmones admodum eſt recluſus, interim tamen tentandum eſt, an forſan larga venæſectione, vaporibus aquoſis, & emollientibus per inſpirationem in pulmones delatis, inſpiratione aëris frigidi, inſectione in aquam, vel adſperſione aquæ frigidæ, aliqualis medela obtineri queat.

§. XLVIII.

Circa hæc in antecedentibus expoſita (§. 32. ſeqq.) adhuc notandum,

- x) Medicamentorum ſub dictis cautelis, ac conditionibus adhibitorum uſum eſſe continuandum, uſque dum vires Venenorum plane ſunt expugnatae, idquod ex remiſſione ſymptomatum colligitur.

- 2) Talia medicamenta semper naturæ Veneni esse debere contraria. (§. 23. n^o. 1.)
- 3) Talia tandem medicamenta, quantum fieri potest, immutata, ad locum ubi hæret Venenum, esse defendenda.

§. XLIX.

Pertractis sic generalioribus cum theoreticis, tum practicis, ad hanc doctrinam de Venenis pertinentibus, pari modo paucissimis eorum mentionem faciam, quæ Medico, debellatis Venenorum viribus, ad debilitatum corpus roborandum sunt facienda; conveniunt hæc maxime cum iis regulis, quæ in Medicina practica traduntur, circa corpora violenti morbo confecta roboranda. Consi-
stunt vero inprimis

- 1) in partium amissarum restitutione. Sunt tales inprimis Spiritus, ac serum blandum; hinc optime conducunt omnia eupepta, juscula carniū animalium juniorum, emulsiones, gelatinæ, mucilagines avenæ, hordei, oryzæ, ova forbilia, quies mentis, & corporis.
- 2) In reddendo ventriculo, cæterisque partibus debilitatis robore. Inprimis in tali casu ventriculus male sese habere solet, quippe qui multis oleosis, aquosis, ingestis, vomitibusque institutis, valde extenditur, atque debilitatur. Egregii hic sunt usus jam dicta eupepta, quia inprimis digestio quoque est læsa. Præterea quoque Theriacalia, vina generosa cum, vel sine lenioribus aromaticis modice hausta, Aquæ Cardiacæ, aliaque huc pertinentia summo cum fructu adhibentur.

T A N T U M !

1) In partibus...
2) In partibus...
3) In partibus...

1) In partibus...
2) In partibus...
3) In partibus...

1) In partibus...
2) In partibus...
3) In partibus...
4) In partibus...
5) In partibus...

IMMUTAT



Strasbourg, Med. Diss., G. Gell-
geyser

ULB Halle

3

005 359 899







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
TRADENS DOCTRINAM ³
D E V E N E N I S
I N G E N E R E

QUAM
FAVENTE DIVINI NUMINIS CLEMENTIA
EX DECRETO
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRO LICENTIA


GRADUM DOCTORIS
PRIVILEGIAQUE DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI
DIE IV. APRILIS ANNO MDCCLXVII.

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET
AUCTOR

GEORGIUS LUDOVICUS GRAETER

HALA - SUEVUS
DUCALIS SOCIET. TEUTON. QUÆ JENÆ FLORET SOD. ORD.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI

Typis JOH. HENRICI HEITZII, Univ. Typogr.

